
Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 18 8°




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 18 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 18 8°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 18 8°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 18 8°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 18 8°

LN 18

M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 18 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 18 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 18 8°

Odæ ſacræ, ſeu pa-
RAPHRASES IN LOCA
grauiſsima veteris & noui Teſtamenti,
variis Carminum generi-
bus conſcriptæ.

AVTHORE IOANNE
BLACCO DANO.



PARISIIS,

Apud Gulielmum Alardum, è regione
collegij de la Mercy.

1550.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 18 8°

Γεράρδου Δενισῶπου Νωγεντέως
εἰς Βλάκκον.

Τὸν Φλάκκον τὸν ἀοιδὸν ἐθαύμασαν Ἰταλιῶται,
Ἄνδρα μελιφθόγγων ποικιλόφωνον ἐπῶν,
Οὐκεῖνος ἢν ἐθέλῃς καὶ νῦν ἄδοντος ἀκοῦσαι,
Εἴποις ἂν τὸν πρὶν νῦν γλυκυφωνότερον.
Ὡς κείνου ψυχὴν εἰς τὸν νῦν Βλάκκον ἰοῦσαν,
Τηρῆσαι τὸ πάλαι, καί τι μαθεῖν ἔτι πρός.
Τοὔνεκ' ἄνευ δασέως διὰ γράμματος ἡδυτέροιο,
Τόν δε τοκεῖς Δανοὶ μᾶλλον ἐπωνόμασαν,
Ὄφρα λέγειν γνοίης προφερέστερον αὐτὸν ἀείδειν
Αἰσχρά ποτ' ὁ Φλάκκος, Βλάκκος, ἀεὶ τὰ
καλά.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 18 8°

AD CAROLVM LO-tharingum Cardinalem Guiſianum Gratulatorium.

Carmen.

QVid referam primùm? quis læti carminis orſus?
Gallica quo tandem conteſter gaudia uerſu?
Denique quo Diuûm celebrem pia numina cultu,
Triſtia qui tali recrearunt tempora plauſu?
Omnia læticia replentur, Gallia triplex
Quà patet, in laudes & ludos ſoluitur omnis,
Hei uereor tanta ne rerum mole fatiſcens,
Succumbat gracilis tali ſub pondere Muſa.
Gratulor ergò tibi Romanæ gloria ſedis,
O Præſul, tanti qui nobis gaudia plauſus
Attuleris, Latio tandem qui ſaluus ab orbe
Aduenien ſ, patriæ adportas lucemque decúſque,
Diuinos meritò quibus es cumulatus honores:
Qui quantùm humanis præſtant cœleſtia, quantùm
Corpore mens, tantò ſunt omnibus anteferendi.
Magna fuere olim Romæ data præmia laudum,
Viribus atque armis ſi quis ſucceßibus utens,
Imperium Latij latè protenderet orbi,
Quíque ageret magnos de uicta gente triumphos:
Huic feſtos celebrare dies, & ponere ludos,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 18 8°

Mos erat, immo etiã Diuûm decernere honores.
At quantò meliùs, Præſul digniſsime, quantò
Rectiùs iſta tuis reddantur honoribus, ut qui
Aeterno patriam décoras ſplendore, tuóſque
Aeternis meritis, æternis laudibus ornas?
Illa etenim uanis conſtabat gloria rebus,
Tum duce Fortuna, tum multo ſanguine parta.
Hæc nullo peritura die, cœleſtia ſpectat:
Vnde tibi meritis exultant cuncta triumphis,
Excipiúntque ſuum redeuntem læta parentem.
Aſsurgunt plaudúntque tibi populúſque patréſque,
Agmina doctorum cultiſsima corda uirorum
Congaudent, cœlóque ferunt tua nomina laude.
Abſentem triſti lugebant omnia uultu,
Redditus es poſtquàm, ſplendeſcunt omnia cultu:
Vt Sol cùm rigidi Capricorni ſydera luſtrat,
Longiùs occiduis cœli regionibus errans,
Omnia triſtantur, nubes glomerantur & imbres,
Terra gelu contracta nouo decus exuit omne,
Et ueluti ſenio totus iam ſegnior orbis
Langueſcens, mortale genus conuellit & angit,
Aſt ubi conuerſos ſublimi agit æthere currus,
Igniuomóſque retorquet equos ad ſydera Cancri,
Diſcutit informes hyemes Boreámque niualem
Soluit, & auricomis informat dotibus annum.
Rident prata ſuis diſtincta coloribus arbos
Læta ſuas protrudit opes, in palmite gemmæ
Turgeſcunt nec cultus ager ſua gaudia differt:
Denique formoſo iuueneſcunt omnia uultu,

Atque amiſſa redit rebus ſua gratia cunctis.
Sic abſens Præſul clariſſime, pectora noſtra
Torſiſti deſyderio, nec ducere læta
Tempora paſſus eras patriam, quæ te ſine dura
Fata putat ſua, necſine te conſiſtere poſſe.
Nunc autem poſtquam redeuntis fama ſub auras
Sparſa tui eſt, animis reparas noua gaudia noſtris,
Feſſáque corda metu recreas, recreatáque mergis
Lætitia: patriæq; adeò ſolatia toti
Diuidis & firmas, quæ iã eſt ſibi reddita, poſtq̃ es
Redditus ipſe tuis: ſic redditus omnia reddis.
Sol niueis inuectus equis ſubit ardua cœli,
Nec priùs abſiſtit, quàm ſumma cacumina tangat:
Tu niuea uirtute Dijs cœlóque propinquas,
Dum diuinorum faſtigia nactus honorum,
Ecce ſubis magni Francorum limina Regis,
Vnde tuæ radios uirtutis ſpargis in omnes.
Sol magis atque magis cœlo ſua lumina profert,
Tu magis atque magis regno tua lumina profers,
Conſiliis, lingua, fama probitate, fidéque.
Ille fugat tenebras, & noctem luce reſoluit:
Tu rerum tenebras uelut alta nocte ſepultas
Diſiicis, & mentis diuina luce ſerenas.
Ille nouos terræ fœtus producit & auget:
Tu fœtus animi, tu ſemina relligionis
Conſeruas, doctos dum prouehis, erigis, ornas,
Atque omni ratione colis, uenerari, amáſque
Denique Sol uarijs operans effectibus, idem
Mollia nunc durat, nunc indurata reſoluit:

Tu prudens uarijs uarium te oſtendis, & idem
Nunc dura emollis, nunc mollia pectora firmas.
Poſtremò radijs limúmque lutúmque ſubintrat
Ignea lux Phœbi, uitium neque concipit ullum,
Quod fœdam claris maculam ſplendoribus infert:
Sic quoque tu media quamuis uerſeris in aula,
Improba nulla tuos uitiant contagia mores:
Quin potiùs medio ceu uita expoſta theatro,
Exemplar probitatis ades, uirtutis imago,
Qua ſic præluces, ſic teipſum uincis, ut iſti
Plus ornamenti, qui nunc acceßit, honori
Addas, quàm tibi honos, quãuis ſit maximus ille.
Hoc demum uirtutis opus mentíſque probatæ,
Cùm locus eſt uitio, uitiis non frangier ullis,
Et ſceleris purum ſceleratos inter haberi,
Præſertim medio cùm floret uere iuuenta,
Quæ facilè in præceps affectibus incita fertur.
Inter opes, inter Sirtes, Scyllam, atque Charybdim,
Difficile eſt rectum tenuiſſe per omnia curſum.
Non tibi fucatas tranſcribo carmine laudes,
In te nec, ſtultum quæ uulgus laudat, adoro.
Mitto genus, quo non aliud præſtantius ullum,
Vt quod ab antiqua deducis origine Regum
Francorum, mitto formam quæ membra Deorum
Maieſtate refert, mitto decus oris, & illud
Egregium toto quod ſparſum corpore uernat,
Inuitúmque trahit ſpectantem, atque allicit ultrò.
In laudes maiora tuas referenda relinquis,
Te quibus inde adeò à puero ſic ipſe probaſti,

Omnibus, & tantis ornaſti nomina rebus,
Vt natus factúſque tuis uidearis ad alta.
Ingenium primùm, quo uix præclarius vllum,
Omnibus excultum ſtudiis atque artibus auctum
Ingenuis (quod rarum in eis ſpectaueris, alto
Sanguine qui nati cenſus & ſtemmata iactant)
Deinde animus celſus, qui tali ſanguine digna
Concipiens, nunquam ſeſe inferiora cupiuit:
Nullà unquam uitã diſsoluit blanda uoluptas,
Mollia nec ſanctam ſubuertunt gaudia mentem
Accedit canum iuuenili in corpore pectus,
Atque immaturo matura in pectore uirtus.
Quid, quòd tam facilis perſpergit gratia mores?
Atque adeò Ambroſiæ ſpirans odor undique uitam
Condit, & à faſtu ſemotam uindicat omni?
Iam, quantus pietatis amor? quàm conſcia recti
Mens, ſoli tua fixa Deo cæleſtia tractat?
Et ne (quod longũ eſt) cõſecter ſingula, magnis
Quæ diuiſa aliis data ſunt Heroibus, uno
In ſolidum collecta tenes uelut edita partu.
O quem te portum, feſsis ſolatia rebus,
Expectat tantis Eccleſia fracta procellis?
O quanta eſt patriæ ſpes addita, præſidiúmque,
Quæ tantis agitata malis, nunc ſoſpite tutam
Omnia te moderante ſuam putat eſſe ſalutem.
Viue igitur Præſul cultiſsime, uiue, tuíſque
Creſcere perge bonis, perge omnibus eſse ſaluti:
Denique perge uiam moliri ad ſydera laude.
Fauſta, precor, Lacheſis molli tibi uellere uitam

Diſpenſet, nullóque premat tua turbine fata.
Secula Tithoni uideas, & Neſtoris annos,
Lætáque poſt uitæ conſcendas tempora cœlum,
Quò tua te pietas & uirtus ſubuehet ingens,
O patriæ ſplendor, ſpes, gloria ſumma, ſalúſque.
Finis.

DE NATALI CHRIſti, ode tricol. tetraſtroph. qualis Horat. lib. pri. car. ode. ix.

Maiora ueſtro munere candidæ
Cantanda Muſæ: progenies noua
Demiſſa cœlo, regna ſancta,
Carminibus decoranda noſtris.
Prædicta magnis tempora uatibus,
Nouíque partus aurea ſæcula
Optata procedunt: ab alto
Lumina clara micant Olympo.
At tu canenti carmina ſuggere,
Híſque apta rebus pectora ſuffice
O Chriſte, & ora infantia, infans
Natus & ipſe, reſolue noſtra.
Primi ut parentes morſibus inuidi
Serpentis icti, & per vetitum nefas
Acti, graues iuſtáſque in iras
Iam pia numina concitarunt.
Heu qualibus quantíſque malis genus

Inuoluit humanum, ſcelus impium,
Heu qualibus merſit procellis:
Qualibus implicuit ruinis.
Infecta radix tota, propagine
Virus per omnem diſtulit arborem,
Ceu Colchicum fuſum uenenum, aut
Peſtis in omnia membra labens.
Exultat inſultátque iacentibus
Amarus hoſtis uictor, & occupat
Victos, rapit, uexat, trucidat,
Imperióque premit nefando.
At conditi ſeruans hominis Deus,
Prædam trementem ex faucibus impij
Hoſtis reuellens, ad ſalutem
Mox medicamina iuſta monſtrat.
Semen futurum tempore quod ſuo
Serpentis atrum contereret caput,
Viréſque fractum & calce preſſum,
Conficeret furiale monſtrum.
His fulta uerbis ſancta patrum fides,
Hoc flagitauit turba Prophetica,
Hoc barbaro ſanctus petiuit
Imperio populus ſubactus.
Ceu ſponſa ſponſi tota in imagine
Abſentis hærens, anxia, tempora
Subducit, infœlíxque turtur
Sola domo gemebunda mœret.
Iam uicta magnis corda doloribus,
Opplorat, implens queſtibus æthera.

Sæpe has init, perfuſa obortis
Ora rigans lachrymis, querelas.
Quid tanta profers tempora? quid moras
Tot nectis aduentus? mihi ſæcla tot
Exacta deſertæ, iugóque
Preſſa feror rapiórque duro.
Furentium in me tanta ruit procûmque
Adulterûmque effrena licentia:
Vel ferreum expugnare poſſunt
Pectus: ad hæc, quibus eſt tuendæ
Mei fides commiſſa, relicta ſum
Prædæ, furores undique ſæuiunt
Prementis hoſtis, qui ſubinde
Me miſeras agit in ruinas.
Diſrumpe nubes, téque per æthera
Demitte, & huius damna, precor, leua
Vergentis ætatis, ſalutis
O reparator & author omnis.
Iámque ordo rerum magnus, & ultima
Labentis æui ſæcula te uocant.
Tam perdito afflictatus hoſte,
Aridus huc inhiabat orbis.
His ergo uictus (quæ bonitas tua eſt)
Mundo laboranti unica ſpes uenis,
Mortalia immortalis ipſe
Sumere uiſcera non grauatus.
Humana quæ uis altior ingeni,
Myſterio huic par eſſe poteſt nouo?
Quæ βάραθρον non hîc profundum

Induerit meritò ſtuporem?
Qui ſumma ſolus continet omnia,
Noſtri miſertus, tractus ad infima,
Et infimos infra putatus,
Solus habet ſuper omne nomen.
Qui cuncta fecit, factus homo eſt Deus,
Qui cũcta finxit, fingitur artubus,
Qui cuncta nutrit, nutriendus
Pendet ab uberibus parentis.
Ceu ros tener deſcendit ab aëre,
Aut mollis imber cœlitus ingruens
Terram afficit, partúmque ſponte
Prouocat, & grauidam relinquit:
Sic tu uirilis neſcia ſeminis,
In membra lapſus uirginis integræ,
Virtute conceptus latenti,
Aeditus es ſuperas in auras.
Stupent ſacratæ pectora uirginis,
Stupétque paſtor luce fruens noua,
Stupet ſonoris Angelorum
Vocibus æthera pulſa latè.
O quanta uoluens agmina contulit
Dies bonorum, quo genitus ſacrum
O Chriſte mundo os intuliſti,
Dulcéque lac tener imbibiſti.
Tũ flaua mellis flumina ab arduis
Videre erat deſcendere montibus,
Et illicem lac, ſaxa florem, &
Fundere dulcia uina ſpinas.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 18 8°

Tu ſtirpem Iudææ ſterilem domus
Succo beaſti & robore uiuido,
Prodis, uelut germen nouellum
Ex ueteri tenereſcit alno.
En regna florebunt duce te noua,
Nouaque leges, & noua pectora,
Pudor, fides: ſurgétque toto
Altera gens reparata mundo.
Veſtigium ſi quod ſceleris manet
Nobis uetuſti, diſcuties procul,
Soluens metu orbem, iámque ſerpens
Sibila colla tumens, peribit.
Tu iure nos natalibus inſeres
Redintegrato, & læſum hominis ſuo
Loco ſacramentum repones,
Perdita reſtituens ſaluti.
Hem quò ruis mundi furor impie?
Quid clara rurſus lumina nubibus
Inuoluis? infeſtíſque fruſtrà
Pectora conſilijs fatigas?
Quid ſuaue tentas excutere imperi
Iugum? quid atro mergere funere
Cunabula pergis ſancta? & illud
Tollere dulce leuamen orbis?
Non iam Chimeræ nos furor igneæ
Terrebit, aut quæ belua centiceps
Orbi imminet: nulla inferûm uis
Dira pijs potis eſt nocere.
Capeſſe regnum, tempus adeſt, Dei

O ſancta proles: occiduo uelut
En nutat omnis conſeneſcens
Pondere, iam ruiturus orbis.
O tanta uitæ pars maneat mihi,
Factis canendis quæ ualeat tuis,
Non me lyra Dircæus ales,
Non fidibus ſuperabit Orpheus.
Sat ignium ſat grandinis impiger
Immiſit æther, ſátque hyemis rigor
Inhorruit: iam uernus orbi
Sol rediens decus excitabit.

Precatio.

O Chriſte qui in mundum ueniens nouam
Carnem induiſti, nos ueterem exue,
Prementibus præſentibúſque
Pectora noſtra malis repurga.
Sanctíſque cuſtos tu ſtabulis ueni,
Feros lupos præſepibus à tuis
Arce, fuga, qui nos cruento
Exagitant lacerántque dente.
Funeſta Martis prælia reprime,
Cæcos furores, turbida tempora
Compeſce: tandem ut pace ſancta
Compoſitus requieſcat orbis.
Ter maximo ſit maxima laus Deo,
Qui pacis orbi munera contulit,
Per filium natum. & fauoris
Pignore nos ſibi conſecrauit.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 18 8°

Ode Sapph. de tribus Regibus

Sol nouos orbes relegens Olympo,
Scandit, & mundi retegit tenebras,
Clara dum noſtris propiora ſpargit
Lumina terris.
Vnde res cunctæ uelut innouatos
Induunt uultus, hyemémque ſenſim
Soluit informem nouus imminentis
Spiritus anni.
Quæ quidem cùm ſint oculis uidenda
Subdita, & debent animos ſubire
Motibus ueris, & ad altiora
Tollere mentes.
Sol enim Chriſtus ueniens ab alto,
Se ſuis offert propiùs uidendum,
Inuijs orbi tenebris ſepulto
Lumina præbens.
Quem petens, ne quò uaga mens aberret,
En tibi cœlo manifeſta lucent
Signa, quæ authorem genitum ſalutis
Nuncia monſtrant.
Stella quam raptus cecinit propheta
Spiritu, claros micat inter ignes
Cœlicos, uitæ peritura nunquam
Lumina ſignans.
Hanc Magi quondam ſoliti Ex Eoo
Syderum curſus oculis notore,

Vt uident flammas uomere, & ſtupendos
Ducere ſulcos:
Perciti rerum nouitate, cœlo
Quà prior curſum tulit illa, rectà
Conſequi pergunt: neque enim carere
Numine credunt.
Iámque peruentum Solymas ad urbes,
Seduló inquirunt, ubinam maneret
Rex Iüdææ, modò quem notabant
Sydera natum.
Vidimus ſtellam regione cœli,
Quà citos effert Oriens quadrigas,
Cognitis nulla ratione nobis,
Curſibus uti.
Mox: quis hic rerum nouus ordo? curſus
Num Deus cœlis alios nouabit?
O noui ſalue noua ſtella, nati
Nuncia Regis.
Illius cauſa moniti uenimus
Huc, uiam nobis præeunte ſtella,
Debitos cultus, patriæque noſtræ
Dona ferentes.
Hanc ut Herodes bibit aure famam,
Regis ad nomen timuit, uiróſque
Conuocat, quærit: uapido ſed urget
Pectore uulpem.
Quin prophetarum ueterum peritos
Conſulens, tempus rogitat, locúmque,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 18 8°

Regis ædendi, ſibi cuncta poſcens
Ordine prodi.
Certa conſtabant ubi iam Tyranno,
Aeſtuat quamuis rapido furore
Cædis infandæ, tamen iſta ficto
Pectore fatur:
Principes, quæ uos pietas adegit,
Diſsitas curſu peragrare terras?
Num uiæ tantos dubium eſt labores
Numine duci?
Ergò iam ſtellis auibúſque dextris
Pergite, & cæptos celerate greſſus,
Atque adorando mihi de puello
Certa referte.
Vix uiam ingreſsi, ſua quæ reduxit
Lumina, en claro redit acta tractu
Stella, iter montes per inhoſpitales
Præuia monſtrans.
Bethlehem ducti ſimul ac propinquant,
Arduum emenſi ſpacium uiarum,
En domum, matrem, puerúmque fixo
Lumine ſignat.
Mox caſam lætis humilem ſubintrant
Greſsibus, proni puerúmque adorant,
Perſicas illi tria dona gazas
Myſtica promunt.
Aurum enim regi datur ut tributum:
Thus ſacerdotem celebrat: Deúmque,
Myrrha deſignat Domini futuræ
Mortis

Mortis honorem.

Angelo poſthæc monitore noctu,
Ne gradum ad ſæuum referant Tyrãnum,
Per nouos flexus rediere læti ad
Patria regna.

O uiri (ſeu uos ſapientiores,
More ſeu noſtro uocitabo Reges)
Veſtra qua tandem decorare laude
Nomina poßim?

Hæc dies cunctis ueneranda ſæclis,
Qua nouum uobis noua regna portans,
Sydus illuxit, cupidóſque uera ad
Gaudia duxit.

Luminis claro radiantis ortu,
Lumen æternum proprio uidetis
Lumine, ô uera, modò quam tenetis,
Luce beati.

Prima uos noſtræ fidei tuliſtis
Munera, & cunabula crediture
Gentis à uobis repetita primùm
Orſa tulere.

Nullæ iter mentis nebulæ retardãt,
Nulla tranſuerſos agitat procella,
Nulla uos frangunt, retrahunt, grauántve
Mille pericla.

Stella uos cœlo tenet uſque fixos,
Stella uos totos agit expeditos,
Stella uos tutos per aquas rapit, per
Saxa, per ignes.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 18 8°

Nubibus quondam fuit implicata
Igneis, ducens domino popellum
Lux, ſed hæc claris radijs refulget
Intùs & extrà.
Lympido mentem iubare excitabat,
Myſticis corpus facibus regebat,
Ora Phœbeæ ſua præferendo,
Lampadis inſtar.
Quem ſacerdotum furioſa turba
Reppulit, duros petitis per orbes,
Prodigi uitæ: noua ſic laceſſunt
Gaudia pectus.
Quæ quidem tùm cœpta fuere tantùm,
Auctibus ſed nunc ſolidis uireſcunt,
Quæ uices nullæ, neque fluxa mundi
Tempora ſoluent.
Ergò qui calcas iter æſtuoſum
Inuij mundi, ſequere hos, nec erres:
Ritè confecto requies labori
Certa parata eſt.
Quod tibi quò ſit magis expeditum,
Fac, Magûm ſanctos imitêre greſſus,
Et uiam toto uicijs relictis
Marte capeſſe.
Signa nec deſunt, iter inſtitutum
Quæ regant, ceu quæ inferior uolutat
Orbis hic, ſpectes, tua ſeu ſub aſtra
Lumina tollas.

Precatio in eodem feſto.

O Sydus ô lux Chriſte fidelium,
Magos micanti ſydere qui regens,
Caſus per omnes reddidiſti
Finibus incolumes ſuorum.
Tu noſtra uero pectora lumine
Foue, hæcq́, uitæ tempora dirigens,
Poſt exilij tantos labores,
Nos patriam reuoca ad perennem.
Vóſque ô Magi, cœli tria lumina,
Veſtro iuuate hæc queſo precamine,
Méque hæc canentem poſſe ſaluum,
Ad patrias remeare ſedes.

Signa & plagæ quibus conflictabatur olim Aegyptus. Exod. à cap. vij. vſque ad cap. xiiij.

Ode ſapphica.

MOnſtra queîs quondam Dominus potentem
Fregit Aegyptum, furijs coactus
Regis, horreſco referens, fugítque
Territa Muſa.
Namque proiectus baculus, ſtupendum
En refert anguem, ſinuoſa lapſu
Terga uoluentem: ſtupet ipſe uiſu
Corda tyrannus
Quóque mirandum magè, quos Magorum
Ars tulit ficta ſpecie Ceraſtas,
Deuorat uictor: rediítque uirgæ
Priſtina forma.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 18 8°

Inde quàm lata eſt Regio, & Canopus
Quà patet, uaſtum mare, ſtagna, riuos
Imbuit ſanguis: ſtetit unda craſſo
Preſſa cruore.
Iámque Ranarum ſubeunt cohortes,
Et replent cellas, penetraliúmque
Ambitus, menſas: ſtrepit ampla fœdo
Regia ſaltu.
Excipit Ranas Sciniphum lues, quam
Diſtulit puluis per inane ſparſus:
Morbido pungunt hominum gregúmque
Corpora morſu.
Sternit & terram rapido uolatu
Orta Muſcarum rabies, coacta
Nube denſantur, cupidíſque tentant
Omnia roſtris.
Vixque muſcarum pereunte labe,
Ecce iumentum iacet omne ſtratum,
Et greges peſtis rapuit uel una
Nocte peremptos.
Nec quies: terram cinis ex camino
Iactus inuoluit: ſacer ignis inde
Aeſtuans, ægro populatur uſta.
Membra dolore.
Non Magi quicquam potuere tale,
Quin & hos ulcus tetigit, nec arte
Carminum afflictis potuere membris
Pellere peſtem.
Pœna dum ſæuit, Pharao remiſſa

Mente, promittit meliora, uerùm
Illa ubi ceſſat, redeunt eodem
Corda ſuperba.
Tùm Deus luſus toties, potentes
Conuocat uires, rapidáſque mente
Concipit flammas, populóque duro extrema minatur.
Ergò ubi terras noua lux ſerenat,
Concutit cœlum tonitru, rubenti
Dextera fulmen iaculatus, alta
Grandine mixtum.
Crederes cœlum ruere omne, ab alto
Cardine euerſum: grauia aut Gigantum
Sæcla tractari: ſolitíſque ſolui
Legibus orbem.
Omne ſecuros per agros repertum
Vis agens hauſit: moriuntur herbæ
Ignibus tactæ: ſonat icta uaſto
Sylua fragore.
His malis ſaltu facili Locuſta
Additur, peſtem ſubigente uento,
Obtegit terram, reliquóque nudat
Semina fructu.
Quid, quòd Aegypto tenebris coortis
Horror incumbit, manibúſque denſam
Nox agens molem teritur, fugans treis
Ordine luces?
Vna iam demùm ſupereſt, ſed omnes
Plaga prædictas ſuperans, nec ullo

Temporis tractu ſimilem ferebat
Conditus orbis.
Luna bis ſeptem uaga menſe primo
Cùm facit noctes, celebranda ſacra
Myſtici iuſsit Deus ipſe certis
Ritibus agni.
Angelus noctis medio, coruſco
Enſe deſæuit, legitúrque primus
Ortus ad mortem, tegitur cruento
Funere tellus.
Illius cladem miſeram quis unquàm
Explicet noctis? memorétue fando
Funera? aut æquet lacrymis dolores
Mortibus auctos?
Quæſtibus cœlum populus laceſsit,
Et frequens Regem precibus fatigat,
Ne Deo pugnet, ſuperûmque iuſtas
Prouocet iras.
Flectat afflictûm gemitus ſuorum,
Flectat exhauſtum pauidúmque regnum,
Denique acceptæ miſeræq; flectant
Vulnere mortes.

Moſes & Aaron ſub tranſitum maris rubri, infirmos ſuorum animos confirmant. Exo.xiiii.

NOn opus uerbis, manifeſta in oclis
Cuncta uerſantur, maniq́ſque ueſtris,

Quàm Dei ſemper fuerit potens huic
Dextera genti.
Siccine obliti, Deus ut furentis
Vos ab Aegypti manibus reuulſit?
Quámque deîn dextro eſt iter inſecutus
Nomine ueſtrum?
Vnde mirandum timor iſte quorſum
Vos agit, quid mẽs trepidat, quid hic uos
Motus excercet: malè grata tandem
Ponite corda.
Quæ ſibi ſacræ potiunda genti
Regna ueraci ſtabiliuit ore,
Quæque iam nobis ducibus petuntur,
Certa manebunt.
Vos modò hæc certò retinete, quæ ille
Certa promiſit: mihi non timori eſt
Hoſtis, à ueſtra timeo rebelli
Mente periclum.
Sed loco clauſos ferus hoſtis urget,
Et fugæ non eſt dare terga: ſumptis
Impares armis: ſinite hæc, Deóque
Fidite ſummo.
Illius uirtus, manus. & poteſtas
Non loco clauſa eſt, locus immò dextra
Illius tunc eſt, ubi ſpes ſalutis
Omnis adempta eſt.
Cuncta quæ cælum, mare, terra, circum
Circà habent, ueſtram famula ad ſalutẽ
Se dabunt, hoſti ueniunt ſuperbo
Iſta timenda.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 18 8°

Ergò deiectas reuocate mentes,
Spe, fide, firmis animis: ferocem
Cras deus, nobis etiam quietis,
Opprimet hoſtem.
Curribus, telis, animíſque cœlum
Territent iſti, ſtrepitent, fremántque:
Nos dei noſtri ueneranda ſaluos
Nomina reddent.

Ἐπινίκιον *Moſis, poſt tranſitũ maris rubri. Exod. xv.*

Ode tricolos tetraſtrophos, qualis Prima.

CAntabo grato pectore nomina
Et facta regnantis domini Dei,
Qui roboris ceu ſigna totum
Extulit alta ſui per orbem.
Equos frementes atque equitum manus,
Vaſtis ſubactos fluctibus obruit,
Eſcámque diſiectos per undas,
Piſcibus atque feris reliquit.
Hic fortitudo roboris eſt mei,
Hunc Muſa noſtri carminis efferet,
Hic undique obſeptum atque preſſum
Faucibus eripuit malorum.
Dei huic potentis nomina congruunt,
Hunc laus perennis temporis euehet,
Hunc & mei patres colebant,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 18 8°

Hunc mea carmina ad aſtra tollent:
Hic bella forti conficit impetu,
Omnis poteſtas hunc dominum ferct,
Quæ terra, quæ cœlum uolutat,
Nomina magna Dei ſonabunt.
Fortes quadrigas armáque militum
Inuoluit undis, lectáque corpora
Tot principum bello potentum,
Contudit, atque in aquis refregit.
Vt mole depreſſus lapis intimas
Vndas ſubit: ſic impia gens aquis
Immergitur, littúſque iactat
Aequoris expoſitos triumphos.
O quanta uirtus, quanta potentia
Dextræ tuæ, qua frangis & atteris
Hoſtem ô Deus, quantíſque fundis
Viribus, & dare terga cogis!
Vt ignis exurit ſtipulam leuem
Flāmíſque conſumit crepitantibus,
Furor tuus ſic deuorauit,
Qui tibi bella minatus hoſtem.
Flatu furoris naribus edito,
Sternuntur undæ, flumina concidunt,
Altum ſileſcit, ſtant fluenta
Vt rigida glacie coacta.
Hoſtis ſuperbus, perſequar hos, ait,
Prendam atque prenſos enſe meo premam.
Preſſóſque perdam, perditorum
Me ſpoliis ſatians opimis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 18 8°

Tu concitatis per mare flatibus,
Vndas in ipſos undique confluas
Duxti: uelut plumbum profundo
In pelago periere merſi.
Deos quis inter, quis ſimilis tui
Deus, quid uſquã ſanctius eminet?
Quis facta poßit tot ſtupenda, &
Dicere quo decet ore laudes?
Te dexteram tendente tuam, ima eos
Tellus dehiſcens ſorbſit, & inferûm
Deuoluit ad Manes, profundis
Molibus & tenebris coërcens.
Tu dux fuiſti (quæ bonitas tua eſt)
Tuo popello, quem tibi liberum
Factum, tuum ad montem reduxti,
Quæ loca tu tibi conſecraſti.
Hæc audientes pectora territæ
Gentes: Paleſtinam dolor occupat,
Edom duces Moábque fortes
Pallida membra metu ſtupebant,
Timore concußi Chanaan nouo
Quotquot colebant: incidat omnibus
Ingens pauor, ueríque tandem
Nomina magna dei tremiſcant.
Inuſitato robore brachij
Tui, ſtupeſcant ceu rigidus lapis,
Dum tuta gens pertranſit iſta,
Quam tua dextra tibi redemit.
Ductam locabis ſedibus in tuis,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 18 8°

In monte quem ſorti tua dextera
Delegit æternæ, atque firmum
Quem ipſe manu propria dediſti.
Non clauſa ſtabit ſine potentia
Vllo dei, qui condidit omnia,
Cuius manebunt regna, cuncta
Sæcula per reuoluta, & ultrà.
Inuoluit undis nam Pharium ducem,
Bellíque currus atque equitum manus:
At ſalua gens electa ſiccum
Gurgitis in medio tenebat.

CARMEN PASCHALE, ſeu ode Sapphica de Reſurrectione.

NEſcio quo mens agitata motu,
Quóue flagranti uelut incaleſcit
Spiritu, magnum ſimilis nouúmque
Parturienti.
Annus arridens nouus, undiquaque
Gratiam ſpargit facie decora,
Ver repubeſcens, modò læta adeſſe
Tempora monſtrat.
Daulias cantu Philomela dulci
Aſtra demulcet, reliquæ & uolucres
Geſtiunt, tellus reuireſcit, atque
Parturit arbos.

Veris deſcriptio.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 18 8°

Arua fœcundi zephyri relaxant,
Induit pictum grauis herba florem,
In ſuos fœtus genitale tempus
Soluitur omne.
Tùm noui corpus reparant calores,
Sanguis & uenis ſalit inualeſcens,
Redditur rebus ſua iam iuuenta
Florida cunctis.
Cauſa tantorum, puto, gaudiorum eſt:
Quòd reſurgentem dominum ſalutant,
Illius ſancto recreata flatu
Cuncta creata.
Languidus mundo incubuit ueternus,
Mortis & ſenſu ſtupuere ſæcla,
Rebus at uitam rediuiua uita
Omnibus auget.
Paſcha nam toto celebratur orbe,
Quo iugum preſſo dominus popello
Victor excuſſit, miſeróſque triſti
Morte reduxit.
digreſſio in ſeruitutē Aegyptiacā
Hei quibus ſæuus ſtimulis Tyrannus
Vrget exhauſtos, quibus & tributis
Aggrauat: nec iã mod' aut mora ulla eſt
Facta labori.
Inſtat intortis operum flagellis
Durus exactor, duplicátque pondus,
Duplicat penſum: labor integraſcit
Actus in orbem.
Extruunt urbes, operúmque moles,

Per lutum, limum, lateréſque pulſi.
Terga ſubſidúntque gemúntque duro
Preſſa labore,
Quid, quòd infantes utero rubentes
Obſtetrix omnes perimat, iubetur,
Maſculos? nulla ut ſupereſſe genti
Semina poſſent?
Sed magis quò ſic furit is premendo,
Hòc magis creſcit pia gens ferendo:
Fortis erumpens oneri ut grauata
Palma reſiſtit.
Altiùs cordi dolor undè adactus
Regis ardeſcit: fremit, atque mandat
Maſculos natos rapidis profundi
Mergier undis.
At Deus preſſi populi miſertus,
In manu mittit ualida prophetam,
Mandat & longæ mala ſeruitutis
Soluere uincla.
Monſtra tot fiunt, ſimul & ſtupendis
Corda miraclis ſuperantur, acres
Præualent pœnæ, neque dura poſſunt
Pectora flecti.
Quin magis ſurgens tumidas in iras
Barbari Regis furor inualeſcit,
Claſſicum clangens, fugientem adornat
Prendere gentem.
Concitis feruens fremit arma pubes, Armantur Aegyptii.
Viribus, fuluo tegitúrque ab ære,

Induit corpus crepitátque circùm
Lamina ferri.
Hîc leui inſtructus uolitat ſagitta,
Gnoſijs arcus calamis adaptans,
Ille bellaci gladio, atque curru
Fulminat iras.
Tota iam campis acie coacta
Fertur Aegyptus, ferit alta cœli
Splendor armorum: medio Tyrannus,
Agminis ardet.

Impotẽtia populi dei,

Interim ductu pia gens prophetæ
Impotens fertur loca per ſilentis
Dura deſerti, neque ſpes ſalutis
Vlla uidetur.
Nam maris rubri reſidens ad undas,
Hinc & hinc ſepta eſt ſcopulis & alto,
Sæuus à tergo fera bella tentans,
Imminet hoſtis.
Iam diem Phœbus nouus excitabat,
Funditur caſtris animoſa turba,
Se parans pugnæ: rapitur tubarum
Clangor ad auras.
Tum pius palans populus timere, &
Anxium littus trepidare circum;
Ceu quibus pullis Iouis ales uncis
Vnguibus inſtat.
Quid tibi uates pie mens laborat?
Ore quid clamas tacito? quid arctum
Spiritum ducis? ſuperûmque fletu
Limina pulſas?

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 18 8°

Ergo iam uocéſque precéſque ſanctum
Audiens numen, gemitúmque gentis,
Mandat extemplò maria alta, ſacra
Cuſpide tangi.
Ecce res cunctis memoranda ſeclis:
Diſsilit pontus, reuerénſque ſanctas
Excipit gentes, quibus ipſe terram
Clauſerat hoſtis.
Inuias tutò uia fit per undas,
In latus ſecto bifidum profundo,
Sternitur ſiccis pedibus per amplum
Orbita pontum.
Ducta miratur pia gens aquarum
In modum muri, quod utrinque moles
Firma conſurgit, tumidíque fracta
Murmura ponti.
At Pharon frendens furijs & ira,
Gentis Hebreæ ſitiens cruorem,
Se mari credit, rapidóque in armis
Turbine fertur.
Iam maris feruens medium tenebat:
Cœlitùs Moſes monitus iubetur
Rurſus, extenta, maria alta, ſacra
Tangere uirga.
Ille adeſt & iuſsa facit, ruit mox
Vnda commiſso reuoluta fluctu,
Et furens circum premit acta nigram
Gurgite gentem.
Non fugæ cuiquam locus, haurit omnes

Mare rubrum ſiccis pedibus trāſmittitur.

Pharao cū ſuis ſubmergitur.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 18 8°

Pontus inuoluens, miſer ipſe curru
Rex,ab inſanis refluíſque fertur
Obrutus undis.
Cúmque adhuc ſummis in aquis pependit,
Heu,ait,cœlo ſuperamur hoſte,
Numini palmam ſuperûm potenti
Porrigo uictus.
Marte congreſſum tamen iſta iuſto
Non facit:ſed uos celeri natatu
Quâ datur uitam ſocij:Parantem
Plura,reluctans
Occupat fluctus,rapido rotatu
Membra contorquens moribūda,térque
Euomit uerſans,rapit inde ad ima
Tartara mittens.
Efferi motus ubi nunc Tyranne?
Spiritus quid nunc poterunt ſuperbi?
Nunc abi,& ſanctā preme,tunde,uexa,
Pondere gentem.
Tùm uiros,currus,& equos uideres
Mutuo amplexu,fluitare ponto,
Mox ſed abſorptos maris ad profundam
Tendere abyſſum.
Quíque iam dudum miſeri timebant
Cuncta,ſecuri pelagi,& pericli,
En ſuum coràm periiſſe ſpectant
Funditus hoſtem.
Sic Deo quondam placuit furentes
In ſuam gentem fremitus domare.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 18 8°

Et nimis longæ mala ſeruitutis
Fata leuare.
Nos item multis tenuit Sathanas
Subditos ſæclis, domitóſque duris
Legibus, nullo redimente, Manes
Truſit ad imos.
Corda nam denſis agitans tenebris,
Perditè inuoluit uitiis nefandis,
A deo auertens, & ad arte ficta
Monſtra colenda.
Turpis, ô turpis nimiùm, & pudenda
Seruitus, ô conditio nefanda,
Mors mihi quàm uita putatur iſtud
Verius eſſe.
At Deus multa pietate uictus,
Sæcla poſt multos reuoluta in orbes,
Miſit in mundum genitum, ante mundi
Sæcula natum.
Hei quid exili referam Camœna,
Quàm graues noſtros ſubiens labores,
Senſit ingrati mala quæ ferebat
Præmia mundi?
Quam diu inuictis tenuit ſub armis,
Hoſtis, & dira ditione preſſit,
Eripi prædam fremit, & furentes
Concitat iras.
Concitat gentes, ſibi quæ ſacrarat
Regna Iudeæ Deus ipſe, uitæ
Abnegent Regem, ſtatuántque mortis
Iura tueri.

Accõmo datio ad nouũ teſtamẽtũ.

Ille opus noſtræ peragens ſalutis,
Emicat contrà, docet, urget, inſtat,
Corda miraclis ſuperans, ſed ipſa
Neſcia flecti.

Actiõne dũ ad nouũ teſtamẽtũ.

Luſtra ſex, & tres (ut opinor) annos
Iam ferens, hoſtem ſuperat potentem,
Et nouum fœdus, noua regna fuſo
Sanguine condit.

Namque paſchalis uelut agnus olim
Cæſus: in turpem miſerè ſubastus
Eſt crucem, noſtras luiturus atro
Funere culpas.

Victimæ nullæ, neque tot colenda
Quæ dei quondam data lex docebat
Sacra, languentis potuere mũdi
Tollere crimen.

Chriſtus ſolus victima ꝓ peccatis

Hac requirebat deus, hac uel una
Hoſtia mundi ſcelus expiari.
Indè peccato nihil eſſe diſce
Fœdius illi.

Riuus hinc ſacri reſilit cruoris,
Hinc noui manat fluuius lauacri,
Quis ſui labem, pia gens, reatus
Eluit omnem.

Morte ſic mortem uoluit domare,
Morte ſic hoſtem uoluit fugare,
Morte ſic uitam uoluit parare
Chriſtus Ieſus.

Nulla ſed diri Phlegetontis ira,
Nulla nec mortis ualuit poteſtas,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 18 8°

Huius infractum ſuperare robur,
Viribus ullis.
Marte congreſſus nimiùm ſecundo, Victoria Chriſti.
Impetus hoſtis ualidos refregit,
Emicans uictor, ſuper aſtra uexit
Clara trophæa.
Iámque colliſum ſuperans, ſuperbis
Vinxit exutum ſpolijs Sathanam,
Inferûm portas & iniqua caſtra
Diruit hoſtis.
Fortis ut Samſon peritura quondam,
Colla ſubiecit domui reuulſæ,
Quò feros hoſtes moriturus ipſe
Perdere poſſet.
Vinculis idem uigilíque cura
Septus, erumpens medios per hoſtes,
Abſtulit fractas & in alta tractas
Cardine portas.
Hic leo ſæuum domuit leonem,
Atra ſerpentis tulit iſte ſerpens
Toxica, & fuſum Goliad ſuo ipſum
Enſe peremit.
Inferis autem domitis, & ipſa Effectus victoriæ Chriſti.
Morte deuicta, dominus reſurgens,
Clauſa quæ nobis fuerant recluſit
Cœlica regna.
Pincipum quæcunque fuit poteſtas,
Soluit, & quæcumque fuere iura
Mortis induxit, monumenta in alto
Stipite figens.

Nulla iam nobis potis eſt nocere
Peſtis inferni, ſtimulus nec ille
Mortis: hæc, uictor quia Chriſtus ipſe eſt,
Vicimus omnes.

Victoria Chriſti.

Facta iam quare pia turba Chriſti
Lætior, ſacris epulata menſis,
Et reſurgentis domini triumpho
Gaudia promit.
Omnis & rerum ſeries, & ille
Blandiens uultus redeuntis anni,
Excipit Chriſtum, quia ſunt in ipſo
Cuncta nouata.

Vſus feſti paſchalis.

Sed nouo nobis recolenda cultu
Feſta paſchalis celebrentur agni,
Vt quibus porgit noua conſecratum
Hoſtia corpus.
Sorde deterſa niteat ſupellex,
Corda fermento careant uetuſto,
Imbuant puras nitidáſque noſtras
Azyma mentes.

Quò uocat uates domini ſequamur,
Nec deo pugnent animi rebelles,
Nos nec Aegypti teneat relictæ
Serua uoluptas.
Nos petræ uiui recreent liquores,
Nos cibi cœlo reparent ab alto,
Nos mare emenſos liquidum fluenta
Myſtica purgent.
Membra peccato moriantur omni,
Et uetus nobis homo ſit ſepultus,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 18 8°

Iunctus ut Chriſto nouus ad ſuperna
Regna reſurgat.
Quod dies tandem faciat ſupremus, De reſurrectiõe.
Cùm tubæ tellus ſonitu tremiſcens
Angeli, reddat rediuiua ab imis
Membra ſepulcris.
Tùm uelut ſemen ſcrobibus ſepultum
Exilit, lætos dominans per agros:
Nos noua exceptans, capiti ducíque
Gloria iunget.
Tùm grauem corpus ueterémque molem
Exuet tandem, ſpeciémque diûum
Induet, liber repetétque cœli
Spiritus arces.
Tùm nouos cœlos uideas, nouúmque
Ver aget tempus, uitiíſque noſtris
Quæ dolens rerum facies laborat,
Reſtituetur.
Tùm uelut cœlo uarijs relucent
Ignibus ſtellæ, ſua quemque uitæ
Per fidẽ oſtendent merita, atque in alta
Aſtra reponent.
Tùm deum clara dabitur ſuorum
Corpori mixtum facie uidere,
Viſio quæ nos beat & beatos
Seruat in æuum.
O diem qui me fragiles ſolutum
Corporis nexus, animorum, ad illos
Colliget cœtus, ſatians perenni
Lumine uitam.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 18 8°

Spiritus i nunc Epicure uerſans
Confutatio ex 2. Epiſto. Petri.
Corde ſecuros,reliqua an futura eſt
Vita, & humanis pia num mouentur
Numina rebus.

Senties,cùm te uelut hircum olentem
Paſtor à ueris ouibus repulſum
Siſtet ad læuum,paleáſque ſparget
Myſtica uannus.

Obiectio.
Sed tenor rerum manet idem,& illos
Fata ſi tollunt,alios reponit
Vita,mutati nihil eſt:futura
Deſine ſecla.

Reſpõſio.
O miſer,quondam malè ſic futuri
Corda ſecuros,rapidus ruénſque
Fluctus inuoluit,miſeróſque uaſto
Gurgite merſit.

Quáſque iam mundi facies repoſtas
Cernis,has ipſas elementa ſoluens
Ignis abſumet,rapient feréntque
Omnia flammæ

Sed moras iſtis patiens piúmque
Numen indulget,tamen eſſe tardum
Hinc caue credas:citò ceu procella
Obruet orbem.

Quin proba ſic te potius,futuro
Iudici poſsis pius ut probari,
Sic piûm accenſus numero,parata
Regna capeſſes.

O deus qui tam miſeram uolebas
Filium mortem proprium ſubire,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 18 8°

Et reſurgendo ſibi glorioſam
Quærere palmam.
Da tuis quicquid fuerit, ferendo
Vincere, & longum uitiis ualere
Dicere: & uitæ nouitate porrò
Viuere poſſe.
Angeli nec nos, fluuio ſacrati
Sanguinis tinctos, gladius cruentus
Hauriat, qui tot rigidus furénſque
Vulnera miſcet.
Nóſque ab Aegypti tenebris profectos,
Lux agat, firmis radiis coruſcans,
Détque promiſſas, requiem laborum,
Tangere terras.
Gratias ſummas tibi Chriſte ſumme
Soluimus, qui nos per acerba mortis
Flagra ſeruaſti, peramæna reddens
Gaudia uitæ,

Pſal.ii. Quare fremuerunt gentes. Argumentum

Regna & potentiam mundi fruſtrà
aduerſus æternum Chriſti regnum niti.
Ode Sapphica. Paraphraſis.

QVid nouos gentes acuunt tumultus?
Bile quid feruens iecur intumeſcit?
Aeſtuat quid tam populus, furore
Actus inani.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 18 8°

Principes, reges, populi potentes,
Conſuunt fœdus, coeúntque in unum
In Deum, quémque ipſe parauit unctum
Chriſmate regem.
Sic enim ſecum tumidi loquuntur,
Imperi faſces, & iniqua uincla,
Dura ceruici iuga facta noſtræ
Excutiamus.
Nulla nos unquàm ſubiget poteſtas,
Quæ libent, poſthac etiam licebunt,
Liberi iunctis agitemus omne
Viribus æuum.
Lucida ſed qui ſedet arce cœli,
Arduum nutu quatiens olympum,
Iſta ridebit, mediúmque ſtultis
Porriget unguem.
Quin ſuam ſurgens aliquando in iram,
Impetus, terrens, reprimet ſuperbos,
Hæcque ad inſanos ſubito loquetur
Miſta furore.
Hunc ego, hunc, regem ſtatui Sionis,
Quem mihi montem uolui per orbem
Eſſe ſacratum, mihi qui ſacratos
Ferret honores.
Ergò ſubſidant animi tumenti
Mente ſublati, mea nec mouetē
Regna, quæ ſemper tenui, meum nec
Tangite Chriſtum.
Cùmque iam talis mihi uox parentis
Conſtat, æternum celebrabo nomen

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 18 8°

Eius, & totum documenta ſaxo hæc
Nota per orbem.
Regna nec ſumo: dominus ſed ipſe
Dixit, æternus mihi tu uocaris
Gnatus, æternum ac hodie meo qui
Proditus ore es.
Poſtula quas uis tibi cunque gentes
Orbis, hæredem dabo, quia pateſcunt
Termini terræ, tibi uterque Phœbus
Seruiet uni.
Conteres ſceptro populos feroces
Ferreo, duras ſubigéſque gentes,
Teſta ceu quauis facili retuſa
Diſsilit ictu.
Ergò iam Reges ſapite, & patentis
Iudices terræ, ſinite edoceri
Veſtra quas iuſsit Deus ipſe ſanctas
Pectora leges.
Numini æternum domini, timendo,
Ferte ſubiecti meritos honores,
Veſtra conceptos ineant in ipſo
Pectora plauſus.
Oſculo exceptum decorate natum
Candido, ne ſi dominus per iram
Arſerit, uobis grauis, excidatis
Sorte beatûm.
Illius nam cùm grauis ira flammas
Concipit, feruens citò cuncta uertit,
O ſuis fœlix nimiùm bonis, qui
Fidit in illum.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 18 8°

Pſalm. Domine quid multiplicati ſunt.
Argumentum.

Aduerſus aduerſariorum impreſsionem quæritatio, & ſpe diuini auxilij, ſui confirmatio.

Paraphraſis.

Ode dicolos diſtroph. Horat. li. 1. Od.

CVr tanto numero, deus,
In me tanta cohors irruit hoſtiū?
Et me tanta premunt mala?
Intentata furit mors fera: plurimi
Inſurgunt capiti meo,
Inſultántque animæ, talia dum mihi
Dicunt, ſpêi reliquum in deo
Iſti iam nihil eſt, nulla ſalus, deus
Ipſum deſerit in malis
Expertē auxilij, quem ſibi ferre opem
Iactarat miſer, hactenus.
Sed q̄ quiſq; uolet clamitet, attamen
Tu defenſor es unicus,
Firmum præſidium, dulce decus, ſalus,
Exaltánſque caput meum.
Contingam facies uertice ſydera,
Et cœleſtibus inſeres.
Te nunquàm dominum ſollicita prece
Fruſtrà in uota uocaueram.
Tu de monte ſacro dexter ades mihi,
Quæ te cumque peto ferens,
Excludens igitur triſticiam & metū,

Altùm corpore dormiam,
Inter tanta mala, idē quoq; cùm uolam,
Somnos excutiens graues,
Mandabo laqueos hoſtibus improbis.
Nam tu ſemper ades mihi,
Vires ſufficiens auxiliúmque, ne
Sæuis opprimar hoſtibus.
Vnde inuictus ero, propoſito neque
Me quaßabit iners timor.
Circùm milia uel ſi populi ſtrepant,
Si fracti immineat fragor
Orbis: Surge deus fer ſolitum, precor,
Pacis præſidium mihi.
Hoſtes qui toties fundis, agis, teris,
Quorum fortiter ictibus
Maxillas laceras, & ualido premens
Dentes conficis impetu.
Solo certa ſalus à domino uenit:
Qui ſolus populum ſuum
Aeternis recreans accumulat bonis.

Pſal. iiij. Cum inuocarem.

Argumentum.

Afflictiones piorum & ſucceßus impiorum non ægro expedendos eſſe animo. Solitum enim deo, miris modis ſuorum ſortem temperare.

Paraphraſis.

Ode dicolos diſtrophos, qualis illa
Horat. Soluitur acris hyems, Lib. I. Carmi.

Ad te confugio querula prece, me benignus audi.
O omnium ſpes & ſalutis auctor,
Iuſtitiæq́ meæ fons unice, qui meum ampliaſti
Anguſtijs cor undiquaque preſſum,
Reſpice me, miſerere mei (ſolitum tibi) & ſalutis
Opem roganti ferre ne recuſa.
O quid dura, uiri, ſic pectora ueſtra comparatis,
Et tanta fruſtrà cura uos fatigatis?
Vt mea perpetuùm maculetur gloria, atque nomen
Altis tenebris obrutum ſileſcat?
Quid uos tranſuerſos rapiũt mendacia? atque tantæ
Quid pertinaces uanitatis eſtis?
Quem deus affligit periiſſe putatis, & beatos
Qui ſorte florent ſplendida & ſuperba.
Sed ſcitote deo quòd uiſum eſt tractitare ſanctos,
Miris modis, & ſic beare tandem.
Per mala, per caſus uarios, per probra, pérque mortẽ,
Dat ille uitam, gloriámque ueram.
Ille meam facilis, quoties clamore eum laceſſo,
Orationem ſuſcipit precantis.
Vos igitur quos ſors premit impatientia, & doletis
Super proborum ſorte & improborum,
Iudicia alta timete dei, ne mentis impotentes
Peccetis, & uos motus iſte perdat.
Quin potiùs querulo uobiſcum corde colloquentes,
Veſtro in cubili ſupplices ſilete,
Déque bono nec uos malus auferat error: ô beatos
Si uera noſtis quæ bona, expetantur.
O Deus, ô fer uera bona, clariſſimo tui nos
Dignare uultus lumine & fauore.

Qui mea lætitia repuliſti pectora ægra,ſolans,
Et nubibus cor obſitum ſerenans.
Horrea diſtendant alij ſua,falcibúſque uitem
Premant Calenis,& falerna uina,
Vnguentóque oleoq; fluant,quod uel tulit Venafrũ,
Non hæc moror,tu certa ſpes ſalutis.
Vnde ego compoſta requieſcam mente,dormiámque
Vtraſque in aures,nec mouebor iſtis.
Nam tu me fulcis,pater optime,dirigis iubéſque
Tenere me ſpem hanc,anchoram ſalutis.

Pſalm.uerba mea auribus percipe, Argumentum.

Falſos doctores & pertinaces mendaciorum concinnatores à deo euertit,pijs ĩterim lætis & gloriabũdis in deo animis conſeruatis.

Ode tricolos, tetraſtrophos qualis illa Hor.
Quis multa gracilis te puer in roſa.Lib.1.Od. 5

Paraphraſis.

Verbis quæſo meis da faciles deus
Aures,uota mei ſuſcipe pectoris
Intentus,neque ſperne
Mentis ſollicitæ preces.
Numen namque tuum rex,deus,& ſalus,
Quo non eſt aliud quod mihi ferre opem,
Maius poßit,adoro.
Tu quas mane preces paro.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 18 8°

Exaudi, radios Sol ubi ſparſerit
Summo mane nouos, templa petã tua,
Obſeruare paratus,
Quid tu præſidij paras.
Namque iniuſticiam nõ deus es probans,
Nec te contiguis ſedibus improbi
Contingunt, neque conſtant
Inſani ante oculos tuos.
Odiſti ſtudio qui male facta habent,
Et quæ falſa crepant ora premis uaga,
Horres cædis amantes,
Verſantéſque dolos malos.
Ipſe autem (bonitas nam tua maxima eſt,
Qua fretus mea ſpe pectora fulcio)
Accedam tua templa,
Et ſancta, reuerens tui,
Orabo prece, tu, iuſticiæ tuæ
Monſtra quæſo uiam, ne ferar hoſtium
In fraudes, mea coram
Te ueſtigia dirige.
Veri illis labium nam nihil aſſerit,
Et fœcunda ſcatet pectore uanitas:
Quorum guttura fœda
Dices laxa ſepulchra, quæ
Externa ſpecie culta nitent probè,
Intus ſed ſanie & ſordibus obſita,
Spirant omnia mortes,
Attactúque necant ſuo.
Confidens, petulans, docta dolos, potens,
Vt blandùm loquitur lingua uolubilis,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 18 8°

In conuicia pendens,
Fraudum prodiga & impudens.
Iuſto hos iudicio tu deus opprime,
Et cœptum tumidis concilium excute,
Nam nullum impietati
Effrenæ ſtatuunt modum.
Nec ceſſant miſeri te magis ac magis
Iritare ſuis motibus, & tuo
Semper, corda rebelles,
Parère imperio negant.
At lætis animis tempora tranſigant,
Qui te præſidium conſtituunt ſuum:
Semper te ſibi dextrum
Præſentémque habeant Deum.
Et te recta ſuam pectora gloriam
Iactabunt, tua quæ nomina diligunt,
Qui immenſa pietate,
Iuſtos accumulas bonis.
Tu nos ſumme deus, ne malus implicet
Error, conſolida, protege, & undique
Ceu ſcuto ualido nos
Circundet tua gratia.

Pſalmus Septimus: Domine Deus meus in te ſperaui.

Argumentum.

Orat aduerſus eos qui innocentis famā falſis criminibus impetunt atque proſcindunt,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 18 8°

Ode dicolos, diſtrophos, qualis Horat.
Laudabunt alij claram Rodon: Lib. I. Car.
Paraphraſis.

O deus, ô cuius pia numina totus adoro,
In quo ſpes mihi ſumma ſalutis,
Hoſte premente, metu, facias, ſim tutus ab omni,
Et capiti defende pericla,
Ne me, ceu rabie leo feruidus, auferat hoſtis,
Et laniet nullo auxiliante.
Si quid tale deus concœpi mente, quod iſte
Obiectat, uel tale quid unquam
Commiſi, manibúſque meis quid adhæret iniqui,
Si turbaui pacis amantem,
Si ſpoliare meum ſtatui ſine cauſſa inimicum,
Denique ſi cui damna creaui:
Hoſtibus obiectus meritas dem ſanguine pœnas,
Supplicium neque deprecor ullum.
Proterar in terris, alto ceu puluere merſa
In nihilum mea gloria uergat.
Surge deus, iuſtáſque ferox te collige in iras,
Hoſtileſque retunde furores.
Indue te ſolitum robur, quæ tu ipſe dediſti,
Lapſantem me in regna repone,
Teque deum uero celebrans eccleſia cultu,
Circunſtet, quam propter in altum
Erige te, uiréſque tuas oſtende potentes.
Qui imperio populos regit omnes,
Hunc ſperate deum memorem fandi atque nefandi,
Si mortalia nulla timetis.
O deus obiecti tu uindex criminis eſto,

Cuius

Cuius ſcis mea pectora pura.
Impia deficiant, tu dirige pectora iuſta,
Quorum etiam diſcrimina ſolus
Noſti: qui renes ſcrutaris, & intima quæque
Exploras penetralia cordis.
Ipſe mihi deus eſt clypeus, ſeruantia recti,
Qui ſemper pia pectora ſeruat.
Iuſtus enim eſt iudex, bona q; probat, improba dãnat
Cuius ut eſt patientia magna,
Sic quoque perpetuò ſceleratos tempore pœnis
Afficit, in mala plurima cogens.
Et niſi conſilium qui nunc extrema minatur,
In melius conuerterit hoſtis:
In me ſi pergit gladium diſtringere acutum
Atque arcum contendere telis
Læthiferis, quæ tota madent imbuta ueneno,
Quæque meo iam ſufficit hoſti:
En feret exitium: quæ uerſat pectore uanis
Conſilijs, eluſa peribunt.
Quis dolus aut dolor eſt, quem nõ conceperat in me?
Quid non parturit uſque nefandi?
Sed quid naſcetur, pariet quæ ſint paritura
Ipſi etiam diſcrimina uitæ.
Incidet in foueam, quam exciderat ipſe: labore
Ecce ſuo malè conficietur,
In caput autoris quæ tractat iniqua redundent,
Quámque parat, ferat ipſe ruinam.
Aſt ego perpetuâ celebrabo nomina laude
Magna dei, iuſtiſsimus ipſe
Qui falſo iuſtos euoluit crimine, iuſtè

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 18 8°

Inuoluens, quos crimina damnant.
Huic ſoluā grates, huic pſallam, hunc denique cœlo
Euectum mea carmina dicent.

Canticum Magnificat carmine Sapphico redditum. Paraphraſis.

1 VIs meæ quanta eſt animæ uigórque,
Numen æternum celebrat, colítque,
Cui nihil totus ſimile aut ſecundum
Continet orbis.
2 Spiritus lætos uolitans per artus,
Plenus exultat, facilíſque geſtit
In deo, qui fert mihíque omnibúſque,
Dona ſalutis.
3 Me perobſcuræ nihilíque tandem
Sortis ancillam miſerans leuauit:
Nulla non ætas mea ab hinc beata
Nomina dicet.
4 Dotibus queîs me cumulauit auctam,
Cuncta qui dextra ſubigit potenti?
Illius ſanctum ſuper alta nomen
Aſtra ferendum.
5 Quin ſuæ cunctis miſerationis
Larga transfundit bona per nepotes
Vltimos, qui ipſum redamant piúmque
Numen adorant.
6 Brachio contrà ualido potentes
Hoſtium uires reprimit ſuorum,
Frangit & motus animi ſuperbo

Corde tumentes.
7 Detrahit regni ſolio potentes,
Euehit magnis titulis iacentes,
Reſpicit qui ſunt humiles, & idem
Deſpicit altos
8 Subleuat, fulcit, fouet, auget, implet,
Fonte inexhauſtæ bonitatis omnes,
Vera qui expectant bona: diuites di-
mittit inanes.
9 Iam ſuum Iſraël puerum benignus
Suſcipit tandem, memor illius qua
Cuncta diſpenſat pietatis, & qua
Sæcula ſeruat.
10 Sicut & noſtris patribus relata
Dicta confirmant, Abrahæ ipſiúſque
Semini, & cunctis fore firma facta hæc
Fœdera in æuum.

Precatio ad deum pro liberatione à malis: quibus hæc Eccleſiæ & Reip. tẽpora cõflictata ſunt.

O Deus æterno qui cœlum numine torques,
Quique hunc immotis cõſeruas legibus orbem,
Æternus, ſapiens, iuſtus, cleménſque bonúſq;:
In mundum miſſi qui nos per uulnera nati
Adſeris, adſertóſque æterno pignore firmas.
Aſpice quàm vario ſunt omnia mota tumultu,

Et quanta fragiles urgemur mole malorum.
Horrida tempeſtas fatalibus aucta procellis,
Incubuit terris, & ſanctam turbine primùm
Corripuit nauim: propria ſtatione ſolutam
Impulit intorquens, mox flatibus egit in altum,
Obiectam pelago &, ſæuùm ſtridentibus Auſtris.
Iámque diu afflictam iactauerat æquore toto:
Arma natant diſperſa ſalo, non uela gubernat
Excuſsus rector, data fuſis undique uentis
Ludibrium fertur, cæcos illiditur acta
In ſcopulos, & iam mediis uix extat ab undis.
Quódque magis miſerum: iam tempeſtate remiſſa,
Et condenſatis diſpulſis nubibus, ipſa
Linquitur in medio, tabulis hinc inde reuulſis,
Tuta petens, ut quiſque poteſt ad littora tendit,
Et ſeſe in portum quem porgunt proxima condit.
Dein agitata etiam ualido Reſpublica uento,
Ingentes hauſit fluctus compage ſoluta.
Maiorum moto turbantur limite fines,
Et mutata nouis perdunt uetera omnia laudem:
Flagrarant magnis hinc ſeditionibus urbes,
Atque adeò ingentes traxerunt regna ruinas.
Corrupti mores: poſitis mens libera frenis,
Antiqui non ulla uidens exempla pudoris,
Soluitur, & uitijs laxas effundit habænas.
Externus non regna ferox turbauerat hoſtis,
Noſtráque nec rabies pulſauit mænia Turcæ,
Interno feruens deſæuit motus ab hoſte,
Atque inteſtinis in uulnera uiribus itum.
Tot Bellona furens orbi dominata per annos,

Immiſſúſque animis rerum temerarius ardor,
Cædibus & diris uaſtarant cuncta ruinis:
Vrbibus his urbes, gens genti, regnáque regnis
Sunt commiſſa, ſuísque malis colliſa fatiſcunt.
Damna, rapina, fugæ, mortes, incendia, luctus,
Tot fuerant rapidos quot uoluunt æquora fluctus.
Et grauiora etiam, uictos miſeróſque manerent,
Ni deus è tantis merſos euolueret undis.
Excipit hæc mala dira fames, & triſtis egeſtas.
Terra inculta iacet, cultore in bella ruente,
Quæ uerò exculta eſt, duróque ſubacta labore,
Fœnore non ſolito ſibi credita ſemina reddit.
Sydera non lætis aſpectant uultibus orbem,
Nec uim naſcendis indulgent rebus eandem,
Quam quondam terris non aduerſata tulere.
Olim fœta parens rerum traxiſſe ſenectam,
Viribus effœtis, & iniquior eſſe uidetur.
Quod tamen in partus ægrè tranſſundit alendos,
Heu miſeris intercipitur iam ſanguine membris
Exucto toties exanguia corpora languent.
Adde quòd infeſta tentantur corpora peſte,
Quæ ſic mortifero corruperat omnia tabo,
Vt quos abſumptos non hauſerat hoſticus enſis,
Hos aut ante diem præſenti funere tollat,
Aut ſic afficiat fuſo per membra ueneno,
Viribus abſumptis, ut iam uix ægra trahantur
Corpora quæ dudum ſteterant in flore iuuentæ.
Quid tot carnifices, qui nunc graſſantur in omnes,
Hic referam morbos? homini non triſtia tantùm
Fata intentantes, uerùm his animalia terræ,

Vſibus humanis quæ ſunt data, conficiuntur.
Poſtremò ſuperos in perdita ſæcula noſtra,
Moliri reor exitium, noſtráſque ſub auras
Mittere dirarum facies, pœnáſque ſuperbi
Faſtus expetere, & contempti numinis iræ,
Tot conferta ruunt, agitántque grauántque malorũ
Agmina, Cæcropio quot apes in monte uagantur,
Aut quot in Aegæo perreptant littore conchæ.
Quæ quia tu qui cuncta uides pater optime, noſti,
Aures nolo tuas longo percellere ductu.
Nunc igitur miſeri tam duro pondere preſsi,
Talibus & fatis tam longo tempore feſsi,
Ad te confugimus, tua numina ſancta precantes,
Da tandem iſtorum finem requiémque malorum.
O deus ô cœli terræque maríſque creator,
Tu ſic ueridici dixti per labra prophetæ,
Quid tantos acuunt fremitus ſub pectore gentes?
Quid me tot populi meditantur inania contra?
Da tumidas mundi ſubſidere poſſe procellas,
Et poſitis tandem miteſcere tempora bellis,
Iratúmque mare & ventos compone procaces.
In medio ſerua luctantem gurgite nauim,
Obruta colliſis ne diſsoluatur ab undis.
Sectarum totis diffuſa examina terris
Diſiice, & inſanos compeſce, retunde furores.
Da tua Apoſtolicis uulgari dogmata linguis,
Quæ tuus effuſo plantauit ſanguine gnatus,
Quæque actis iam ſunt radicibus aucta per orbem.
Diſperſum afflictúmque gregem rege, collige, ſerua,
Compoſita ut perſtet tua ſancta Eccleſia pace,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 18 8°

Et quidquid ferri eſt priſcum reuocetur ad aurum,
Pectora qui fingat, diſiunctáque iungere poßit,
Veri & pacis amans, ſit ſpiritus omnibus idem.
Noxia cuncta aufer, morbos, peſtémque famémque,
Et da quæ miſeram poßint deffendere uitam.
Sint in honore ſuo diuinæ Palladis artes,
Et Muſis ſanctas ſua dona ferantur ad aras,
Antiquæ uigeant leges, ius, fáſque fidéſque,
Mutua pax, ordo, ſtudium uirtutis auitæ:
Hæc ſunt quæ intenti precibus contendimus omnes.
Audi ſancte pater, uocéſque & uota tuorum,
Suſcipe, ſpes miſerûm, defenſio, turris, Aſylum.
Auerſum neque te precibus peccata tuorum
Reddant, nec culpæ ueniam auxiliúmque morētur.
Adſumus, ádque tuas flentes prouoluimur aras,
Vltrò accuſantes mala quæ commiſimus omnes,
Per te pérque tuum crudelì funere paßum
Pro nobis gnatum, noſtri miſerere precantum,
Præſentíque leua præſentia ſæcla medela.
Ne dedigneris tua ſancta reuiſere regna,
Et miſeris collapſa modis, & diruta quæ ſunt
Iuſtaurare, ſuo inſtauratáque reddere honori.
Vt ſua quæ imperio non ſubmiſere potenti
Colla tuo, ueniant ultrò & tua regna requirant,
Quas tua cumque uocata ſuper ſunt nomina gentes,
Aeternúmque tuas reſonabunt carmina laudes,
Hæc qui conſilio æterno facis omnia ſolus.

Finis precationis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 18 8°

ERRATA

Fol.17 *quis lege*	*queis.*
20. *peramæna*	*peramœna.*
Ibid. *inani*	*inani?*
21 *quæritatio*	*quiritatio.*
22 *expedendos*	*expendendos.*
24 *concilium*	*conſilium.*

19 *ſecuros,tolle ſubdiſtinctionem.*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 18 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 18 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 18 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 18 8°